

14.06.2025 | 17:00 Uhr | Steingaden Wieskirche

Intonation:

Deus, in adiutorium meum intende.

1. Tokkata „Domine ad adiuvandum me festina“

(6-stimmiger Chor, Orchester und Continuo)

Domine, ad adiuvandum me festina. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen. Alleluia.

2. Dixit Dominus (Psalm 109)

4 Solostimmen, 6-stimmiger Chor, Orchester und Continuo

Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuae emittit Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.

Iuravit Dominus, et non poenitebit eum; tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis, confregit in die irae suae reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

3. Nigra sum (Hohelied-Motette)

Tenor-Solo und Continuo

Nigra sum, sed formosa, filiae Jerusalem. Ideo dilexit me rex et introduxit me in cubiculum suum et dixit mihi: Surge, amica mea, surge et veni: iam hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra. Tempus putationis advenit.

4. Laudate pueri, Dominum (Psalm 112)

6 Solostimmen, 8-stimmiger Doppelchor, Orchester und Continuo

Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, et usque in saeculum. A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini. Excelsus super omnes gentes Dominus, et super coelos gloria eius.



Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in coelo et in terra?

Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui. Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

5. Concerto „Pulchra es amica mea“

2 Soprane und continuo

Pulchra es, amica mea, suavis et decora filia Jerusalem. Pulchra es amica mea suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.

6. Laetatus sum (Psalm 121)

7 Solostimmen, 6-stimmiger Chor, Orchester und Continuo

Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis, Jerusalem.

Jerusalem, quae aedificatur ut civitas: cuius participatio eius in id ipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Israel ad confidendum nomini Domini. Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum David. Rogate, quae ad pacem sunt Jerusalem: et abundantia diligentibus te: Fiat pax in virtute tua: et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos et proximos meos, loquebar pacem de te: Propter domum Domini Dei nostri, quaesivi bona tibi.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

7. Concerto „Duo Seraphim clamabant“

3 Tenöre und Continuo


Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Plena est omnis terra gloria eius. Tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.

Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Plena est omnis terra gloria eius.

8. Nisi Dominus (Psalm 126)

10-stimmiger Doppelchor, Orchester und Continuo

Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Vanum est vobis ante



lucem surgere: surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Cum dederit dilectis suis somnum: ecce hereditas Domini, filii, merces, fructus ventris. Sicut sagittae in manu potentis: ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

9. Concerto „Audi coelum verba mea“

Tenor-Solo mit Echo, 6-stimmiger Chor, Streicher und Continuo

Audi coelum verba mea, plena desiderio, et perfusa gaudio.

(Echo: audio)

Dic, quaeso, mihi: quae est ista, quae consurgens ut aurora rutilat ut benedicam.

(Echo: dicam)

Dic, nam ista pulchra, ut luna electa, ut sol replet laetitia terras, caelos, maria.

(Echo: Maria)

Maria virgo, illa dulcis, praedicata de propheta Ezechiel porta orientalis,

(Echo: talis)

Illa sacra et felix porta, per quam mors fuit expulsa, introduxit autem vita,

(Echo: ita)

quae semper tutum est medium inter homines et Deum pro culpis remedium.

(Echo: medium)

Omnes hanc ergo sequamur qua cum gratia mereamur vitam aeternam. Consequamur.

(Echo: Sequamur)

Praestet nobis Deus, Pater hoc et Filius et Mater, cuius nomen invocamus dulce miseris solamen.


(Echo: Amen.)

Benedicta es, Virgo Maria, in saeculorum saecula.

10. Lauda, Jerusalem, Dominum (Psalm 147)

7-Stimmiger Doppelchor, Orchester und Continuo

Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te. Qui emittit eloquium suum terrae, velociter currit sermo eius. Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit. Mittit crystallum suum sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Emittet verbum suum, et liquefaciet ea; flabit spiritus eius, et fluent aquae. Qui annunciat verbum suum Jacob, iustitias, et iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi: et iudicia sua non manifestavit eis.



Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

11. Sonata sopra „Sancta Maria ora pro nobis“

Sopran-cantus-firmus, Orchester und Continuo

Sancta Maria, ora pro nobis.

Heilige Maria, bitte für uns.

12. Hymnus „Ave maris stella“

3 Solostimmen, 8-stimmiger Doppelchor, Orchester und Continuo

Ave maris stella,
Dei Mater alma,
atque semper Virgo,
felix coeli porta.

Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
funda nos in pace,
mutans Evae nomen.

Solve vincla reis,
profer lumen caecis,
mala nostra pelle,
bona cuncta posce.


Monstra te esse matrem,
sumat per te preces,
qui pro nobis natus,
tulit esse tuus.

Virgo singularis,
inter omnes mitis,
nos culpis solutos
mites fac et castos.

Vitam praesta puram,
iter para tutum,
ut, videntes Jesum,
semper collaetemur.

Sit laus Deo Patri,
summo Christo decus,
Spiritui Sancto,
tribus honor unus.

Amen.



13. Magnificat

6 Solostimmen, 7-stimmiger Chor, Orchester und Continuo

Magnificat anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius.

Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini eius in saecula.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

